

Hermann Heltberg Theodor Küper


Exercitationum Logicarum IX. De Divisionibus Enunciationum Secundum Essentiam, Quantitatem, Et Qualitatem

Rostochi[i]: Myliandrus, 1610

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729111032>

Druck Freier  Zugang






51

R. U. phil. 1609. 10.

12 gyl.

35 1717





Annunte & Benedicente Domino
Exercitationum Logicarum

I X.

DE DIVISIONIBUS
ENUNCIATIONUM
SECUNDUM ESSEN-
TIAM, QUANTITATEM,
ET QUALITATEM.

Cujus Theses

Sub Praesidio

M. HERMANNI HELTBERGII
Walsrodâ - Lunæburgici,

Dominis Collegis suis examinandas offert

Theodorus Rüper /

Rostochiensis. Megap.

Ad diem XXI. Januar. Hora
& loco consuetis.

Rostochi

Typis Myliandrinis, Anno c1o 1oC X.



VIRO REVERENDO,

Dn. M. Mauritio Rachelio,
Ecclesiae Güstrovienſis ministro vigilantis.
& Reverendi ministerij ibidem Seniori,
affini suo venerando.

Dn. M. Petro Höppenern,
Affini suo itidem colendo,

Dn. Christophoro Lucovio,

Dn. Iohanni Neovino,

Dn. Henrico Bacmeistero,


Amicis, fautoribus, simul & Sympatriotis
honorandis,

Illi Theologia: his SS. LL. Candidatis,

Hoc exercitium suum debite observantia

& honoris ergo inscribit

Theodorus Küper R.



Prooemium.



QVEM Admodum Physica prius corporis naturalis principia, quid, & quotuplicia ea sint contemplatur, & deinde ad ejusdem species cognoscendas progreditur: ita etiam nos qui haecenus in praecedenti exercitatione ipsius Enunciationis principia, ut nomen & Verbum, & deinde ipsam Enunciationem sumus contemplari, jam eodem modo ad Enunciationis species & varias divisiones accedemus. Contemplabimur itaque in hac exercitatione plerasque plerorumque Interpretum Enunciationum divisiones, & hac in parte Interpretes potius quam ipsum Aristotelem sequemur. Non autem hoc ipsum vos moveat, quod in hac exercitatione ab Aristotelis via in tractandis Enunciationum divisionibus aliquantulum & interdum discedamus. Nam compendio quodam ea omnia quae Aristoteles late & copiosissime proposuit vobis exhibere volumus, atque sic brevitati potius quam prolixitati studere cogimur.

Th. 1 & 2.
Th. 3.

Theorema Primum.

Enunciatio secundum essentiam dividitur primo in simplicem & conjunctam. Simplex est, quae simpliciter a liquid esse vel non esse, dicit.

I. Non sequimur in distribuendis Enunciationibus vulgarem dividendi modum, sed eam quae nobis commodissima videtur, sequimur.

A 2

Enunciatio est
Simplex &
conjuncta.

divisio

simplex

1. Naturalis Enunciatio.

2. Enunciatio quæ præter naturam est.

Enunciatio alia vera alia falsa

Enunciatio alia propria alia figurata

quimur dividendi rationem. Scimus enim quod plerique hodierni Logici Enunciationem dividant in Naturalem, & eam quæ est præter naturam. Naturalis Enunciatio ipsis est, quando id quod ex naturâ subjectum alterius est, ejusdem etiam cujus subjectum est in Enunciatione tale constituitur: ut, V. G. quando Homo est doctus, dico est Enunciatio naturalis, quia homo qui ex natura extra mentem doctrinæ subjectum est, ejusdem etiam subjectum in Enunciatione constituitur. Sic omnes Enunciationes illud quod subjectum extra mentem alicujus rei est, ejusdem illud etiam in Enunciatione constituentes, tali nomine insigniuntur, ut innumeris exemplis nisi temporis & chartæ nobis habenda esset ratio, possemus vobis enotare & demonstrare. Enunciationem deinde præter naturam dicunt esse eam, quæ illud quod in natura extra mentem subjectum est, predicatum constituit, ut doctum illud est homo. Hic homo extra mentem in natura rerum doctrinæ subjectum est, & tamen ejusdem predicatum seu accidens in Enunciatione constituitur. Dividunt deinde Enunciationem in verâ & falsam. Vera Enunciatio ipsis est quæ, quod rei extra mentem verè inest, de eadem etiam predicat & Enunciat: ut homo sentit. Hæc n. Enunciatio sentire quod homini extra mentem inest, verè de eodem etiam predicat & Enunciat. Falsa verò Enunciatio est, quæ illud rei quod eidem extra mentem constituta minimè, & nulla ratione convenit, attribuit: ut Petrus est arbor. Hæc enim Enunciatio Petro seu homini ea attribuit, quæ eidem extra mentem in rerum natura constituto nunquam inesse potuerunt. Petrus enim vel homo quidam nunquam arbor esse vel fieri potuit. Tradunt tertio Enunciationis in propriam & figuratam divisionem. Enunciationem propriam designant, quæ subjecto & predicato quæ in propria & genuina sua significatione accipiuntur, constat & composita est, ut quando dico Petrus est homo. In hac Enunciatione hominis & Petrii vox in propriâ

Vera En.

Falsa En.

En. Propria

En. figur.

propria sua significatione quam ex natura possident accipiuntur. Enunciatio figurata vero est cujus pars una vel utraq; non generalem & naturalem suam significationem, sed tropicam & figuratam habent, ut quando dico Herodes est vulpes. Hic vocabulum vulpis non proprie pro animali irrationali sumitur, sed pro quodam homine vulpi ob astutiam & calliditatem simili.

En. figurata

Afferunt deinde multas alias Enunciationum divisiones quas omnes cum hic modo enumeratis ad materialem Enunciationum tractationem relegamus. Non enim hic agimus de Enunciationibus materialiter sed tantum formaliter consideratis.

II. His ita praedictis dicimus quod nos in Enunciationibus dividendis sequenti ordine incedere velimus. Primò enim Enunciationum secundum essentiam, deinde secundum quantitatem & denique qualitatem divisionem vobis exhibebimus. Hac enim ratio nobis omnium videtur aptissima & commodissima. Dividimus autem in theoremate nostro Enunciationem primò in simplicem & conjunctam, simplicis Enunciationis naturam in hoc theoremate explicabimus, & composita enodationem in subsequens theoremata transferemus. Dicimus autem quod Enunciatio simplex sit, quae simpliciter aliquid esse vel non esse, dicat, ut quando dicimus: Homo vivit. Petrus ambulat. In his enim Enunciationibus Homini & Petro simpliciter & simplici asseveratione, aliquid inesse dicitur. Ad meliorem autem definitionis nostrae intellectum dicimus quod Enunciatio simplex ea sit, quae ex unico predicato & subjecto constet: ut homo vivit; leo sentit. In his enim & similibus Enunciationibus unicum tantum subjectum & predicatum invenitur. Non moveat etiã quinquã quod definitio nostra Enunciationis non habeat sibi additum genus. Constat enim ex genere subintellecto videlicet oratione, quod brevitas causa à nobis praetermissum esse judicetis.

5
2
7.

3
1
1
1

13

III. Dicimus deinde quod Enunciatio simplex sit duplex, vel absoluta seu pura & modo carens, vel modalis seu modum sibi

simplex est iterum duplex

sibi adjunctum habens. Enunciatio absoluta seu pura est, qua nullum sibi adjectum & appositum habet modum, sed saltem pure & absolute aliquid esse vel non esse dicit, ut homo vivit, homo est animal. Hæ enim Enunciationes nullo prorsus addito modo subjecto predicatum vel inesse vel non inesse dicunt. Dividimus deinde Enunciationem hanc puram & absolutam in binariam & trinariam. Binaria est, qua ex solo subjecto & predicato nulla explicitè apposta copula constat, ut Equus currit, avis volat: Homo ratiocinatur. Trinaria Enunciatio est, in qua præter subjectum & predicatum unicum, copula cujus beneficio hæc duo conjunguntur, reperitur, ut homo est animal, Aristoteles est Philosophus: Ramus est Orator. In his omnibus Enunciationibus & his similibus præter subjectum & predicatum adhuc copula seu verbum est additur, & propterea trinaria quia tribus constant vocibus, nominantur. Enunciationem deinde modalem definiunt, quæ non absolute & pure subjecto predicatum inesse dicit, sed insuper unum ex quatuor sequentibus modis sibi habet additum: Necessè, contingens, possibile, impossibile est: ut necessè est omnem hominem esse animal: contingens est hominem ambulare: possibile est puerum mori: impossibile est hominem esse arborem. In his Enunciationibus non absolute & pure, sed certo addito modo aliquid de altero vel affirmatur vel negatur. Differt autem hæc Enunciatio à pura in eo solo, quod unum ex his predictis quatuor modis habeat sibi annexum, qui in pura desideratur, quando enim pura dicit: homo est animal: tunc modalis, necessè est hominem esse animal, addit.

Theorema Secundum.

Enunciatio conjuncta est quæ ex duabus simpli-

prima divisionis
secundum esse
intam, pars
secunda.

17
modo carem

hæc divisionis
complectitur
binaria

trinaria

2
2
modalis

2
2
2
2
2

Compositum

17

simplicibus per particulam conjunctivam
conjungitur & componitur.

I. *Supra in theoremate primo, divisimus Enunciationem in simplicem & conjunctam, & in eodem simplicem & ejusdem varias divisiones contemplati sumus: in presenti itaq; quid Enunciatio conjuncta sit, & quomodo dividatur erit tradendum. Dicimus autem in theoremate nostro quod conjuncta Enunciatio sit quae ex duabus simplicibus componatur, ubi iterum obiter monendi estis, genus hujus definitionis consulto à nobis omissum esse, propterea, vel quia satis notū, vel quia à plerisq; ita definiri Enunciatio solet. Est autē Enunciationis hujus genus Oratio, quasi dicas Enunciatio est oratio: Dicimus deinde quod Enunciatio conjuncta ex duabus simplicibus componatur mediante particula conjunctiva, ut quando dico, si Asinus volat, habet pennas: Hic videtis duas Enunciationes simplices, Asinus volat & habet pennas, quae duae simplices Enunciationes per particulam conjunctivam nimirum Si conjunguntur & componuntur, ex qua compositione deinde Enunciatio composita seu conjuncta efficitur. Sic quando dico aut dies est aut nox est, duae simplices Enunciationes per particulam conjunctionis aut combinantur & ex complicatione illa duarum Enunciationum simplicium composita seu conjuncta efficitur.*

II. *Dividunt autem Enunciationem hanc conjunctam in copulativam, conditionalem, & disjunctivam. Copulativa Enunciatio est in qua duae simplices Enunciationes per conjunctionem copulativam combinantur, ut Aristoteles est Philosophus & Medicus. Hic duae simplices Enunciationes, ut Aristoteles est Philosophus: Aristoteles est Medicus conjunguntur per particulam conjunctionis copulativam Et, atq; sic per conjunctionem illam seu conjunctionis particulam copulativam.*

de Genere & conjunctione di-
visionis.

I.
Copulativa En-
unciatio.

2;
Disjunctiva E-
nunciatio.

3. Enunciatio
Conditionalis

vam, Enunciatio conjuncta copulativa efficitur. Sic multis alijs
exemplis posset hac res vobis declarari, nisi ejusdem exempla in
Logicis libellis qui hodie circumferuntur posita esse sciremus in-
numera, quò vos ad meliorem hujus assertionis nostrae intellectum
volumus remissos. Disjunctiva Enunciatio est quae ex duabus
enunciationibus simplicibus per conjunctionis particulam disjunc-
tivam componitur, ut V. G. quando dico aut dies est aut nox
est. Hic duae Enunciationes simplices per conjunctionem aut
conjunguntur, quae conjunctio Enunciationem nobis reddit dis-
junctivam. Enunciatio deniq. conditionalis est quae ex duabus
Enunciationibus simplicibus per conjunctionis particulam condi-
tionalem conficitur. Eodem modo quo reliquae duae species E-
nunciationis conjunctae per conjunctionis aliquam particulam con-
ficiuntur, & hac species ejusdem exstruitur. Conveniunt enim
& combinantur in hac specie etiam duae Enunciationes simplices
per conjunctionis aliquam particulam, nimirum conditionalem.
Quando enim dico, Si Asinus volat, habet pennas, enunciatio-
nem vobis affero conjunctam conditionalem. Reperiuntur enim
in hac Enunciatione duae simplices Enunciationes videlicet,
Asinus volat, habet pennas, quae per particulam conjunctionis
conditionalem Si conjunctae, unicam aliquam efficiunt Enuncia-
tionem conjunctam conditionalem. Sic quando dico: Si Pe-
trus vixerit Roma, videbit Papam, enunciationem efformo
conjunctam conditionalem, in qua duae Enunciationes simplices
per conjunctionis particulam conditionalem conjunguntur, sic
multis alijs modis harum conjunctarum Enunciationum naturam
vobis explicare possemus, nisi res ipsa satis manifesta esset, & sic
ulteriori declaratione non indigeret.

Theorema Tertium.

Enunciatio secundum qualitatem dividi-
tur in affirmantem & negantem.

Vidimus

2
2 dicit

I. Vidimus hæcenus eas divisiones qua Enunciationibus secundum essentiam conveniunt: jam ergò de ijs qua ipsis secundum accidentia attribui possunt erit præcipiendum. Dicimus autem in theoremate nostro quod secundum qualitatem Enunciationem in affirmantem & negantem dividamus. Est autem Enunciatio affirmans vel affirmativa qua subjecto prædicatum inesse dicit: Sic quando dicimus: Homo est animal, Enunciationem affirmantem efformamus, quia subjecto prædicatum inesse & adesse asseveramus. Homo enim subjectum est, cui animal, quod prædicati locum obtinet inesse dicimus & affirmamus. Ex his colligimus Enunciationem affirmantem nihil aliud esse quam effectum aliquod quod re de qua sermo est instituitur, ita se habere affirmat & dicit, ut in exemplo hominis & animalis satis manifestum evadit: Sic multis alijs exemplis hoc ipsum vobis possumus declarare, sic quando dicimus, Petrus est homo, homo est animal, animal est corpus, corpus est substantia, substantia est Ens, Enunciationes affirmativas vobis exhibemus. In omnibus enim Enunciationibus hisce subjecto prædicatum inesse, à nobis asseverari percipitis, atq; sic Enunciationes affirmativas nos efformasse facile intelligitis.

Enunciatio
Affirmans.

II. Enunciatio deinde negativa est, qua subjecto prædicatum non inesse dicit, sed illud per particulam Non negativam ab eodem removet. Quemadmodum Enunciationem affirmantem definivimus eam, qua subjecto prædicatum inesse affirmet, sic è contrario Enunciationem negativam dicimus esse eam qua prædicatum subjecto inesse neget: sic quando dico: Homo non est lapis, Enunciationem vobis exhibeo negativam, quia subjecto quod homo est, lapidem qua prædicatum est non inesse dico, per particulam negativam Non: Sic quando dico: Homo non est equus: Bos non est Asinus, enunciationes negantes efformo, quia in ijs prædicatum à subjecto per particulam negativam removetur. Sic equus removetur ab homine, asinus à bove, per particulam ne-

Enunciatio
Negativa.

B

lam ne-

lam negativam Non: Notandum tamen hic obiter est quod particula negans Non, non sit cuius parti Enunciationis ad iungenda, sed si Enunciatio fuerit trinaría debeat copula preponi: ut quando dico, Homo non est lapis: hic Enunciatio est trinaría, & etiam Non negativa particula verbo Est quod copula est, preponitur & adiungitur. Quando Enunciatio est binaria, hoc est non habet copulam sibi adiunctam, tunc particula Non predicato, non verò subjecto preponenda est: ut quando dico, ignis non urit, ibi urit est predicatum cui particula Non erat preponenda non verò subjecto quod erat ignis. Secus autem si factum fuerit, Enunciationem non negantem, sed infinitam efformabimus. Quia autem hæcenus nulla adhuc facta est mentio Enunciationis infinita, ideoq; hic aliquantulum, quia necessarium videbatur, de eadem præcipiemus.

Enunciatio
infinita.

III. Est autem Enunciatio infinita quæ vel subjectum vel predicatum, vel utrumq; habet infinitum. Ad intelligendam hanc Enunciationum infinitarum definitionem, recurrendum vobis est ad disputationem præcedentem, ubi de terminis seu nomine & verbo infinitis egimus, quæ nihil aliud sunt quam subjectum & predicatum, præterquam quod aliud quando ingrediuntur Enunciationem, sortiuntur nomen. Nomen enim vocamus quod nondum ingressum est Enunciationem, subjectum verò quando eandem est ingressum. Erit itaq; inter nomen & subjectum, verbum & predicatum non realis; sed saltem rationis discrimen, & qui benè quid nomen & verbum cognovit infinitum, ille eodem etiam labore Enunciationem seu aliquam ejusdem partem infinitam cognoscet. Majoris tamen declarationis ergo Enunciationis infinitæ exemplum adducimus tale: Non homo non est arbor. Hæc Enunciatio infinita est ex parte subjecti quod infinitum est. Non homo enim terminus est infinitus, quia omni Enti excepto eo, quod sua negatione rejicit, attribui potest. Sic Petrus est non temperans, est Enunciatio infinita, quia habet prædi-

infinita non negat, quia verbum non nomen est. Sic Petrus est non temperans affirmans.

infinita non terminus est. Sic Petrus est non temperans.

prædicatum seu verbum infinitum, nimirum non temperans. Ex his duobus exemplis, si rectè attenderitis Enunciatio num infinitarum naturam cognoscere poteritis.

Theorema Quartum.

Enunciatio secundum Quantitatem dividitur in universalem & particularem, indefinitam & singularem.

I. Procul dubio vobis notum est illud Philippi quando dicit, quæ, qualis, quanta. Quod de propositionibus seu Enunciationibus intelligendū est, quando n. quæro quæ sit propositio, de essentia ejusdem, quando qualis, de qualitate, quando quanta, de quantitate Enunciationis sum sollicitus. Sic quando quæro quæ sit propositio, respondendum est, quod sit vel simplex vel composita, quando quæro qualis sit, quod vel affirmativa vel negativa sit, quando denique quanta sit respondendum est quod sit vel universalis vel particularis, vel indefinita vel singularis.

II. Sed quia nos hætenus quæ & qualis Enunciatio quadam sit tradidimus, ideo jam quanta Enunciatio sit præcipiemus. Dividatur autem quod Enunciatio secundum quantitatem primò dividatur in universalem & particularem, Secundò in indefinitam & singularem. Enunciationem universalem dicimus eam quæ signum sibi additum vel præpositum habet universale: ut quando dico: omnis homo vivit: nullus homo vivit: Nullum animal est lapis: omne animal est substantia: Nulla substantia est accidens: Omnis substantia vegetatur. Ex his exemplis factiè quid Enunciatio universalis sit poteritis cognoscere quæ enim habet sibi particulam Omnis vel nullus non verò tanquam partem essentialem, sed tanquam aliquod signū ab essentia diversū, præpositū talis est. Enunciatio deinde particularis est, quæ signū

Enunciatio universalis.

Enunciatio particularis.

Enunciat: indefi-
nita.


subjecto praepositum habet particulare, ut quando dico: Quidam homo vivit: quadam substantia corrumpitur: Quoddam animal moritur, Enunciationem particularem effero. Omnis itaq; Enunciatio qua non habet sibi signum universale, sed particulare praepositum, particularis dicenda erit.


Enunciat: singularis.

III. Enunciatio indefinita est, qua quidem subjectum universale habet, sed nullum eidem signum continet praepositum. Sic homo vivit: Substantia corrumpitur, animal moritur, sunt Enunciationes indefinitae, quia subjecta habent universalia, sed nulla eidem signa universalia praeposita. Ex his exemplis facile poteritis cognoscere quidnam nobis Enunciatio indefinita vocetur, nimirum qua quidem habet subjectum universale, sed non signum universale subjecto suo universali additum. Enunciatio deniq; singularis est, qua subjecti loco non rem aliquam seu terminum universalem, sed singularem seu individuum assumit. Sic quando dico, Petrus est Apostolus, Johannes est Magister: Judas est proditor, enunciationem singularem vobis exhibeo, quia Johannes, Petrus, Judas, sunt singularia seu individua, & sic quia subjecta in Enunciationibus fiunt, eandem singularem efficiunt. Erit itaq; Enunciatio singularis ea omnis, qua subjecti loco aliquod individuum seu rem singularem, ut in exemplis fuit declaratum, habet. Atq; hac de Enunciationum secundum Essentiam, qualitatem & quantitatem dicta sufficiant. Plura si quis desiderat consulat ipsum Aristotelem, Tolet. & alios qui in explicandâ Arist. mente hac in parte suam operam & laborem posuerunt.

COROLLARIA.

- I. An recte tractationem Enunciationum Necessarium & contingentium omiserimus Aff.
- II. An doctrina Enunciationum infinitarum ex Logicis exterminanda? Negat. contra Petrum.
- III. An diversorum definitio Pet. Rami sit bona? N.
- IV. An Petrus Ramus & qui eundem sequuntur, quando se in libro 1. Log. de terminis solum simplicibus agere dicunt, sibi bene contentent? N.





306. sect. 20. in hac verba erumpens: Omne quod est, a primo principio, aut à primo principio. Unalia dependent igitur. Ergo suâ naturâ omnia corruptibilia. Est itaq; spiritus corruptibilis; & natura: nunquam vero corrumpitur; nunquam immortalitate Deo ipsum donavit.

Theorema II.

Spiritus est vel Angelus, rationalis.

Legitimam hanc esse spiritus divisionem, concedere licet. Nam 1. Angelus tantum, & animalia existunt. 2. immortalitate fruuntur. 3. per se existunt. Ergo etiam tantum spiritus existunt.

Theorema III.

Angelus est spiritus, qui per se existit, sed semper extra corpus.

I. Dicimus Angelum per se nunquam in corpore existere, sed per accidens tamen id fieri posse, concedimus. quando corpora assumere, ut appareant hominibus. Et testatur Scaliger, Angelos ipsos sibi corpore existere. 359. sect. 13. Verum quia hujuscemodi corpora non sunt, & natura eorum non est, corporibus reformare, merito per se ab omni corporis unione separantur.

II. Sunt vero Angeli in duplici differentia: quidam mali. Malitiam intelligimus, sed moralem. Diabolus enim ratione essentia, ac Angelus bonus. Quia 1. est Ens. 2. bonum: quia bonum cum Ente convertitur. Quicquid autem à Deo creatum est, bonum est.

A 3

